

Rhodianos, Cornelianos, Gallianos, aliosque similes. Et quidem non ex solis Brutiis desumptos fuisse Scriptores narrant, contra Gellium, Brutiis infestum, sed etiam ex Lucanis, Picentinis, Cypriis. De Picentinis asserit Strabo, lib. 6. in fin. *Picentes . . . nunc vero per vicos vitam agunt, a Romanis expulsi, propter initam cum Hannibale societatem. Quo quidem tempore pro militari officio, ut viatoris publici, aut tabellarii, operam expererent, adsignati sunt.* Idem de Lucanis adfirmat, quemadmodum quoque de Brutiis; quemadmodum & Lucani, & Brutii, easdem ob causas. Accinit Sigonius, de antiquit. jur. ital. c. 21. f. 46. v. *italo*; Lypsius de fast. c. 22., aliique passim inter novissime scribentes.

§. III.

De Apparitoribus, eorumque munere.

Apparitores, κλητῆρες, dicti, quod appareant, & præsto sint ad obsequium; qui & Statores dicuntur, ut sunt, qui Magistratus circumstant, parati ad obsequendum. Ex Cicerone in Verrem, & alibi, Ambrosius Calepinus. Ex Pitisco erant Magistratum Nuncii, sive Ministri, apparituram Magistratibus facientes: οἱ παριστάμενοι τοῖς ἐπ' ἀξιόσεως; hoc est, qui præsto sunt Magistratibus ad imperia accipienda, & exequenda. Servius: *Apparent, præsto sunt ad obsequium.*

Ex eodem Pitisco, hoc uno nomine vocabantur Scribæ, Accensi, Interpretes, Præcones, Viatores, Lictores, Servi publici, Carnifices. Bud. in Pandect. p. 244., H. Salmuth in Pancirol. de reb. deperd. & inv.